



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*  
(*TEMPLUM S. HIERONYMI A CARITATE*)\*

TEMPLUM S. HIERONYMI A CARITATE, ROMAE IN VIA IULIA EXSTANS,  
AD DIGNITATEM DIACONIAE ATTOLLITUR.

Cum antiquissimi tituli presbyterales vel diaconiae Romae exstantes, qui translaticio more Summi Pontifices Decessores Nostri S. R. E. Cardinalibus dare consueverunt ut scilicet aliquid muneris manifeste in Urbe sacra obirent, iam augendo ob peculiare nostrum temporis necessitates Purpuratorum Patrum numero pares non sint, alios eisdem annumerare censemus eximios et idoneos ut hac dignitate augeantur. Inter quos templum S. Hieronymi a Caritate in via Iulia situm eligimus, utpote quod, perpulchra venustate splendens, et Sancti Philippi Nerii memoria collustretur et a Sodalibus Instituti Oratorii ab eo conditi summa caritate laudabilique studio administretur. Huic igitur templo summa Nostra potestate *diaconiae* dignitatem concedimus, omnibus eidem factis privilegiis quibus ceteri in Urbe eiusdem ordinis tituli iure vel consuetudine fruuntur, contrariis minime obstantibus. Volumus praeterea ut hae Litterae Nostrae eius cura qui ad praesens templo S. Hieronymi a Caritate moderatur ad effectum adducantur. Peracti autem negotii instrumentum conficiatur idemque, rite subscriptum sigilloque impressum, ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittatur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mesis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.*

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis</p>
---	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Caesar Federici, *Proton.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 497-498 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana